
POSITIONES SEV ARTICVLI.

N. N. IN causa processus de Vita sancta, Excellentia fidei, virtutibus, & miraculis Serui Dei P. F. Ioannis Leonardi de Fusco de Ciuitate Litterarum oriundi ex S. Seuerini oppido Ord. Præd. Congreg. S. Mariæ Sanitatis de Neap. constituti specialiter procuratores ab Admodum Reuer. P. F. Iordano de Neap. S. T. M. & eiusdem Congregationis Vicario, Necnon ab Inclita, & fidelissima Ciuitate Neapolitana, & Litterensi prout constat publicis, & authenticis Instrumentis manu publicorum Notariorum confectis, & in hac causa productis, vt clarè liqueat de puritate fidei, de excellentia, & sanctitate vitæ, ac de miraculis dicti Serui Dei P. F. Io. Leonardi de Fusco, & ad omne bonum finem, & effectum cum solitis petitionibus, & postulationibus faciunt, dant, exhibent infrascriptos Articulos contra, & aduersus Procuratorem Fiscalem Curiæ Archiepiscopalis Neapolitanæ ad probandum admitti, & in dictum processum includi, & super illis testes inducendos examinari, & de illis inquiri petunt, & instant ad onus superfluæ probationis minimè se adstringentes, de quo expressè protestantur, non solum præmisso, sed omni alio modo meliori, &c. saluo iure, &c.



A In pri-

1 In primis procuratores prædicti ponunt, & quatenus opus sit probare volunt, & intendunt, quod in prouincia principatus citra huius Regni Neapolitani inter alias Ciuitates adest Ciuitas Litterarum suffraganea Archiepiscopi Amalphitani, quæ ab anno 988. quo tempore Episcopali dignitate est decorata à Ioanne XV. Pontif. Maximo in personam Stephani vsq; ad præsentem Fratrem Franciscum Bruscum continuata Episcoporum serie, catholicis, & pijs habitatoribus est referta. Et hoc fuit, & est verum, publicum, notorium, & manifestum, & publica vox, & fama, & communis opinio, & reputatio.

2 Item ponunt, & quatenus opus est probare volunt, & intendũt, quod in dicta Ciuitate Litterarum anno 1569. ortus est hic Serus Dei P. F. Io. Leonardus de Fusco ex catholicis & huius Ciuitatis nobilibus parentibus Francisco de Fusco, & Lucretia de Miro legitimo inter se matrimonio coniunctis, multis præuijs ad Deum precibus, cum haberent tunc fæminas quatuor, & vnum Marem, & in sacro Baptismo Albentij nomen est inditum, & catholicè, ac piè educatus ab infantia, suo tempore fuit confirmatus, & hoc fuit, & est verum, publicum, notorium, & manifestum, & publica vox, & fama, & communis opinio, & reputatio.

3 Item ponunt, & quatenus opus est probare volunt, & intenduut, quod dictus Seruus Dei P. F. Io. Leonardus de Fusco à pueritia cæpit vitam Christiano homine dignam ducere, parentes venerando, in nulla re illos lædendo, & obtemperando, & quod illi tempus à Gimnasio, & alijs honestis exercitijs supererat, in oratione impendebat ante sacram Beatissimæ Virginis Rosarij imaginem, cuius erat deuotissimus, & in Ecclesia cathedrali erat, paternis ædibus proxima, itaut sæpè cum prandij, & cœnæ tempus adueniret, indè esset vocandus, parco vtebatur cibo, pænitentijs deditus, ita vt præter frequé-

tes

tes disciplinas crassum laneum pãnum supra nudam carnem gestaret, dormiretq; super tabulis, prauorum virorum consortia vitabat, obscæna verba maximo odio prosequebatur, & leuitates, puerilesq; ludos fugiebat. Et hoc fuit, & est verum, publicum, notorium, & manifestum publica vox, & fama, communis opinio, & reputatio.

4 Item ponunt, & quatenus opus est probare volunt, & intendunt, quod dictus Seruus Dei P.F.Io.Leonardus de Fusco, cum annum ageret decimum septimum in dicta Ciuitate Litterarum institutum fuit Sodalitium Sanctissimi Rosarij, in quod ipse cum multis, tum laicis, tum Clericis, & Sacerdotibus fuit ingressus, & ob eximiam illius pietatem Prior, seu Præfectus adhuc adolescens fuit creatus, quo etiam tempore grauiter ægrotantem quemdam Sacerdotem, & Parochum, & demum animam agentem in vltimo agone adiuuandi ipsi Seruo Dei cura demandata est, quod summa pietate, fructu, & astantium admiratione est exequutus. Quod fuit, & est verum, publicum, notorium, & manifestum publica vox, & fama, & communis opinio, & reputatio.

5 Item ponunt, & quatenus opus est probare volunt, & intendunt, quod dictus Seruus Dei P.F. Io.Leonardus de Fusco Clericali tonsura insignitus, & ad quatuor minores ordines promotus, Neapolim studiorum causa mittitur, vbi otium fugiendo, strenuam operam iuri ciuili nauauit, socijs sacramentorum frequentia, pietate, morum honestate, et modestia, optimæ vitæ exemplum præbens, cum quibus quodam die extra portam Sanctæ Mariæ Constantinopolis in Viridario, seù hortis, tunc Ducis Nuceriæ, nunc Fratrum Carmelitarum discalciatorum imprudens deambulando in foueam aquà plenam cum euidenti vitæ periculo decidit, è qua Dei speciali, ac Beatissimæ Virginis auxilio Socij connexis inter se

pallijs, porrectisq; dicto Seruo Dei illum incolumen extraxerunt, quod factum pro insigni Dei beneficio prædicare solebat. Quod fuit, & est verum, publicum, notorium, & manifestum, publica vox, & fama, & communis opinio, & reputatio.

6 Item ponunt, & quatenus opus est probare volunt, & intendunt, quod dictus Seruus Dei P. F. Io. Leonardus de Fusco hoc periculo defunctus actis Deo, ac Beatissimæ Virgini debitis gratijs, constituit relicto sæculo religionem ingredi, motusq; exemplari, ac sancta vita, quam ducebant Fratres nuper reformati Ordinis Prædicatorum Congregationis Sanctæ Mariæ Sanitatis de Neap. ingressus est dictam Religionem in Conuentu prædicto admissus ab Admodum Reu. P. S. T. M. Fratre Ambrosio Pascha, tunc dicti Conuentus Priore, annum agens vigesimum tertium anno 1591. die Assumptionis Beatissimæ Virginis, mutatoq; Albentij nomine, Frater Io. Leonardus est vocatus. Quod fuit, & est verum, publicum, notorium, & manifestum, publica vox, & fama, & communis opinio, & reputatio.

7 Item ponunt, & quatenus opus est probare volunt, & intendunt, quod dictus Seruus Dei P. F. Io. Leonardus de Fusco dictam Religionem ingressus tam sanctam vitam instituit, vt inter cæteros Nouitios, qui multa virtute prædìti erant, ita excelleret, vt omnibus esset viuũ Christianarum virtutum exemplar, vt iam ex eo tempore clarissimè ostenderet, & omnes certo conijcerent, quot, & quantos in vitæ sanctitate esset progressus facturus. Quarè peracto anno solemnem professionem emisit, & vix biennio elapso ad Sacerdotium post reliquos ordines vniuersos ritè promotus, ob eximiam vitæ puritatem, & sanctitatem ad Monasterium Oppidi summæ non longè Neapoli distans mittitur, vt Confessarij munus obiret, quod tanta attẽtione exercuit ibi ferè per anni vnius

spatium,

ſpatium, orationi & contemplationi vacans, ſilentium
ſingulariter ſeruans, vt ex eo tempore ſemper capitis dolore laborauerit. Quod fuit, & eſt verum publicum, notorium, & manifeſtum, publica vox, & fama, & communis opinio, & reputatio.

8 Item ponunt, & quatenus opus eſt probare volunt, & intendunt, quod dictus Seruus Dei P.F.Io.Leonardus de Fuſco, à Superioribus à dicto Monaſterio Oppidi Summæ eſt reuocatus; & ad Monaſterium Montis Dei, miſſus, & deindè ad Sancti Spiritus eiuſdẽ Ciuitatis Neap. Nouitiorum Magiſter eſt effectus, quod munus, ſumma omnium ædificatione, charitate, pietate, prudentia, maximo cum Nouitiorũ fructu eſt exequutus, ferè per duorum annorum ſpatium, demum ad Sanctæ Mariæ Sanitatis Monaſterium tranſmiſſus; vbi & alibi pluries ſermones, habuit tanto animi ardore, & pietate, vt auditores raperet, ipſeq; tanto ſpiritus incendio æſtuaret, vt extra ſe ferri videretur ſumma Auditorum admiratione, ædificatione, & fructu. Quod fuit, & eſt verum, publicum, notorium, & manifeſtum, publica vox, & fama, & communis opinio, & reputatio.

9 Item ponunt, & quatenus opus eſt probare volunt, & intendunt, quod cum dictus Seruus Dei P.F.Io.Leonardus de Fuſco in anno eſſet creatus Subprior dicti Monaſterij Sanctæ Mariæ Sanitatis, tanto zelo, & cura per ſpatium menſium ſex in eo onere ſe geſſit, vt tempore ſilentij, & noctis furtim, et inſcijs fratribus ſe in cællas proriperet, & ſilentium, & modeſtiam non ſeruantes, grauiter, & amanter corrigeret, & cum tanto zelo eſſet plenus, & huiuſmodi labores ſanitati maximè officerent; ea cura, & munere eſt liberatus, et abſolutus. præfectus eſt deinde Monaſterio Monialium Sanctæ Mariæ Aegyptiacæ eiuſdem Ciuitatis, quod ſub regimine dictæ Congregationis Sanctæ Mariæ Sanitatis degit, vbi toto trien

nio

nio maximo animarum fructu,zelo , et vigilantia ſe geſſit , vt magnos in ſpirituali vita Moniales progreſſus fecerint, habentes, et æſtimantes dictum Seruum Dei eximiæ Sanctitatis virum . Quod fuit, et eſt verum, publicum, notorium , et manifeſtum, publica vox,et fama , et communis opinio,et reputatio.

10 Item ponunt;et quatenus opus eſt probare volunt , et intendunt, quod dictus Seruus Dei P. F. Io. Leonardus de Fuſco in anno 1610. fuit ab Ordinario vti confeſſarius conceſſus Monaſterio Monialium S. Ioannis Baptiſtæ eiuſdem Ciuitatis,quod onus ſuſtinuit , vſque ad annum 1620. quo tempore obijt, in quo munere nullis parcens laboribus,podagra,et chiragra,flatibus,et lateris dolore ſæpe laborans ,et præterea cum cogeretur cum multo dolore ob peritonei rupturam geſtare ferreum cingulum , non deſtitit tamen ſumma charitate , et animarum profectus cupiditate , pluries in hebdomada ad dictum Monaſterium ſe conferre,et per multas horas, et ſæpe toto die ibi morando , partim exhortationibus , et inſtructionibus , partim audiendis confeſſionibus operam nauans,tanti facti ſunt in vita ſpirituali progreſſus , vt pleræque illarum Monialium tanto animi feruore , et ſpiritu ſanctitatem ſint amplexæ , vt in hac Ciuitate Neapolis , et alibi etiam ſint in magna opinione Sanctitatis, quo tempore etiam Monaſteria Monialium Sancti Potiti , et Sancti Gaudioſi Ordinis Sancti Benedicti, hortando , docendo, et inſtruendo, reformationem ſunt cum maximo fructu complexæ,nec deſtitit Chriſtus Dominus interim ſemel, et Beata etiam Virgo ſemel ſuam præſentiam dicto Seruo Dei exhibere,et die feſto S.Ioãnis Euangeliſtæ anno 1619. ſenſit dictus Seruus Dei in corde transfigi,quod diu optauerat,et de hac re diuinam maieſtatem erat deprecatus . Hinc ex eo tempore maximis doloribus ea corporis parte eſt vexatus . Quod fuit ,

et eſt

et est verum, publicum, notorium et manifestum publica vox, et fama, et communis opinio, et reputatio.

11 Item ponunt, et quatenus opus est probare volunt, et intendunt, quod cum dictus Seruus Dei P.F.Ioan.Leonardus de Fusco in anno 1620. mense Februarij ægrotare cæpisset, et demum à Medicis eius salus esset desperata, idque per vrbem Neapolim esset peruagatum ob Sanctitatis famam, tantus et insolitus factus est hominum omnis generis concursus ad Monasterium Sanctæ Mariæ Sanitatis, vt illum inuiserent, illius se orationibus commendarent, & benedictionem acciperent, vt Prior dicti Monasterij sit coactus custodes ante cellæ ianuam apponere, ne multitudo ingredientium, et numerus in angusta cella ægrum læderent, et mortem accelerarent. Et si qui forte permittebantur ingredi, illius præsentia mirificè afficiebantur, et lacrimas fundentes ob iacturã, quam in terris tanti viri erant facturi, minimè ægri animum mouebant, sed illis blandè, licet interruptis vocibus respondens, maxima cum animi submissione, & sensu pro illis oraturum pollicebatur. Quod fuit, & est verum, publicum, notorium, & manifestum, publica vox, & fama, & communis opinio, & reputatio.

12 Item ponunt, & quatenus opus est probare volunt, & interdunt, quod dictus Seruus Dei P.F. Io.Leonardus de Fusco anno prædicto 1620. die duodecima mensis Februarij hora noctis quarta, maxima cum opinione Sanctitatis Ecclesiæ Sacramentis ritè munitus, Spiritum Deo placidissimè reddidit ætatis ano 52. Religionis 29. ad cuius corpus inuisendum, & venerandum, tanta fuit post mortem vniuscuiusq; generis hominum multitudo, & concursus, vt per integrum diem Ecclesia Sanctæ Mariæ Sanitatis, ita esset hominibus, & mulieribus referta, vt vix illa licet amplissima, multitudinem caperet, & necesse fuerit cadauer in inferiori Ecclesia intra ferreos cancellos

cellos

cellos, appofitis etiam lictoribus ad fubmouendum turbam, collocare ne difcerperetur, & poft biduum, nullum malum odorem exhalans, & incorruptum extracto prius corde, & inteftinis, non in communi fepultura, fed capfa & loculo plumbeo inclufum cadauer clauibus obferato, in Cappella Sanctiffimi Crucifixi, vbi adhuc manet, illatum eft, & fanguis incorruptus, & liquidus adhuc feruatur. Et dictus Seruus Dei etiam eodem tempore, quo obijt, & poftea etiam nonnullis cęlefti gloria ornatus apparuit. Quod fuit, & eft verum, publicum, notorium, & manifeftum, publica vox, et fama, & communis opinio, & reputatio.

DE VIRTVTIBVS.

13 ITEM, vt magis liqueat de Sanctitate vitæ, & virtutibus dicti Serui Dei P. Fratris Io. Leonardi de Fufco, ponunt, & quatenus opus eft probare volunt, & intendunt, ipfum omnibus virtutibus excelluiffe, & primo, quod in fide Chriftiana, & Catholica femper vixit, et ad mortem vfque perfeuerauit, et conftanter doctrinam fanam veræ fidei per omne vitæ tempus, non folum retinuit, fed alios etiam docuit, tam in concionibus, et exhortationibus publicis, quam in priuatis fermonibus: Scripturam facram frequenter legebat, mirifque laudibus extollebat, et quæcunque in ea leguntur, vel ab Ecclefia definita funt, firmiter tenuit, et tam pro fidei, quam pro Ecclefiæ defenfione fanguinem profundere paratus ita fuerit, vt quodam tempore cum Fratre, quodam laico conuenerit, fi ita tamen Superioribus videretur, ad Ethnicos fe conferre, vt pro Chrifti nomine, et fancta fide, vitam, ac fanguinem profunderet, et in fine vitæ inftantiffimè petijt fibi fidei proteftationes, quas in quodam libello habebat, nonnullis fua manu additis legeren-

gerentur, lectasque summa animi pietate, iucunditate, et sensu audiuit, ijsque, et verbis, et signis quam plurimis est lætissimè assensus. Quod fuit, et est uerum, publicum, notorium, et manifestum, publica vox; et fama, communis opinio, et reputatio.

14 Item ponunt, et quatenus opus est probare volunt, et intendunt, quod dictus Seruus Dei P. F. Io. Leonardus de Fusco maximam in Deo spem habuit, et cum eiusdem auxilio ex meritis, et sanguine Christi Domini nostri per opera meritoria se vitam æternam consequuturum sperauit. Hac spe fultus, non solum paternam domum, et omnia temporalia contempsit, vt cælestia acquireret, sed mori etiam non recusabat, quinimo ardenter optabat, aliosque se in cælo visurum dicebat, ideoq; cum tam frequenter, et prolixè oraret, et in cælestium rerum contemplatione versaretur; alius ex oratione surgere videbatur, sermonesq; quos post illam habebat, facilè ex consortio sermonis Domini cælestem suauitatẽ, & spiritum sapiebant, maximèq; eos, cùm quibus sermones tunc serebat, commouebat. Quod fuit, & est verum publicum, notorium, & manifestum, publica vox & fama, & communis opinio, & reputatio.

15 Item ponunt, & quatenus opus est probare volunt, & intendunt, quod dictus Seruus Dei P. F. Io. Leonardus de Fusco charitate insigni exarsit, mirifico enim amore in Deum inflammabatur, & rapiebatur, ob quem peccata odio est prosequutus, atque vitauit, Dei mandata seruauit, perpetua pace, & gaudio fruens, & vt arctius per amorem Deo adhæreret, omnia reliquit, hoc est parentes, sorores, & fratrem, & reliqua temporalia, & sequutus est Christum morè Apostolorum, & consilia adimpleuit, vt maiori cum perfectione Deo inseruire posset. Ex eadem charitate factum est, vt proximum dilexerit, salutisque animarum, tam ardenti zelo exarserit,

B vt pro

vt pro illarum auxilio nulli vnquam labori pepercerit. In concionibus, exhortationibus, & sermonibus tam publicis, quam priuatis, & litteris Christi fideles à peccatis reuocabat, & educebat, ad Dei amórem incendebat, atque ad perfectionem incitabat, de Peccatorum conuersione lætabatur; ægrotos, & afflictos visitabat, eorum confessiones audiebat, & qua poterat ope subleuabat, morientibus astabat, iratos homines, ac dissidentes conciliabat, tribulatis, & aliquid mali passis mirificè compatiebatur; mærentes consolabatur, pia consilia indigentibus, dabat labores quoslibet pro aliorum consolatione libenter suscipiebat pro Animabus Purgatorij suffragia faciebat, orabat pro inimicis, eisque cum posset benefaciebat, aliaque huiusmodi Christianæ charitatis exercitia, magna cum animi iucunditate, & hilaritate faciebat, & insignem erga omnes benignitatem gerebat. Quod fuit & est verum, publicum, notorium, & manifestum, publica vox & ama, & communis opinio, & reputatio.

36. Item ponunt, & quatenus opus est probare volunt & intendunt, quod dictus Seruus Dei P. F. Io. Leonardus de Fusco in virtute Religionis maximè excelluit, omnesque actiones ad Dei cultum pertinentes semper, & indefesse exercuit, & vt promptius Deo posset seruire, diuino seruitio se totum in Religione dedicauit. Horas canonicas in choro non legitimè impeditus summa cum deuotione, attentione, & feruore, apta, & modesta corporis totius compositione, recitabat. Et cum per corporis indispositionem matutinis in choro adesse non poterat, accepto lumine ipse in lecto orationi, & contemplationi vacabat: Missæ sacrificium ab eo tempore, quo Sacerdos est factus maxima cum animi præparatione, reuerentia, lacrymis, & gratiarum actione, cilicium etiam gestans, singulis diebus præuia confessione offerebat, nisi morbo impe-

impediretur,& multoties luminosa facie, dum illud peragebat, est visus, Orationi, & Contemplationi, præcipuè vero passionis Christi Domini (cuius erat deuotissimus, & de qua nonnulla pia scripta reliquit) summoperè erat deditus: Dominum Iesum, eiusque Sanctissimam Genitricem Mariam vnicè venerabatur. Erga Angelum Custodem, aliosque Sanctos, & præcipuè Sanctum Dominicum, Sanctum Thomam Aquinatem Diuum Augustinum, & eos Sanctos, quos singulis annis iuxta Religionis morem illi contigebant, magnum semper gessit deuotionis affectum. Ecclesiam, & Ecclesiarum sacella visitabat, & venerabatur. Res sacras, Sanctorumq; imagines, ac reliquias venerabatur, cæterosque deuotionis, & religionis actus promptè, & alacriter exercebat, & exerceri ab alijs faciebat. Quod fuit, & est verum, publicum, notorium, & manifestum, publica vox, & fama, & communis opinio, & reputatio.

17 Item ponunt, & quatenus opus est probare volunt, & intendunt, quod dictus Seruus Dei P. F. Io. Leonardus de Fusco Cardinalibus virtutibus excelluit; nam prudentiæ virtute, qua optima media ad opera benefacienda eligebat, & præcipuè ad consequendam diuinam gloriã, & æternam felicitatem ostendit tum in conuersatione cum diuersis hominum generibus absque vllius vnquam offensione, sed cum maxima satisfactione, tum in administratione officij Magistri Nouitiorum, & Subprioris, & in sollicita gubernatione Monasterij Sanctæ Mariæ Aegyptiacæ, & aliorum monasteriorum.

Iustitiam autem ostendit, tam secularis, quam Religiosus, benè de omnibus iudicando, aliorum actiones excusando, & in bonam partem semper interpretando, nullam vnquam personarum acceptionem habendo, & suum vnicuique tribuendo. Deo videlicet gratias, et laudes, Superioribus honorem, & obedientiam benefactori-

bus gratitudinem, æqualibus affabilem beneuolentiam, & subditis delinquentibus quidem pœnam, benè se gerentibus præmium.

Fortitudinem ostendit in rerum mundanarum contemptu, in edomadis animi passionibus, in perpetua sensuum, et conscientiæ custodia, in seruanda mansuetudine, in tolerandis patienter, & cum exemplo, et ædificatione aduersis, præsertim corporis infirmitatibus, et in perseuerando vsque ad mortem in Dei seruitio, cuius gratia ardua aggrediebatur, et martirium desiderabat.

Temperantiam denique ostendit in moderandò se in victu, et vestitu, alijsque corporis commoditatibus, non solum nullam in eis superfluitatem admittendò, sed aliquid semper detrahendo. Et hoc fuit, et est verum, publicum, notorium, et manifestum, publica vox, et fama, et communis opinio, et reputatio.

18 Item ponunt, et quatenus opus est probare volunt, et intendunt, quod dictus Seruus Dei P. F. Io. Leonardus de Fusco profundissima humilitate claruit, et excelluit. Et ex hac humilitatis virtute cum esset doctus, indoctus tamen æstimari voluit. Omnibus se subijciebat, fratribus etiam laicis demisissime se demittebat, maximum peccatorem se reputabat, et coram alijs cũ multo sensu se appellabat, humanas laudes semper odit, et fugit, se contemptibilem, ac omnium religiosorum minimum esse ita existimauit, vt ab omnibus semper aliquid discere vellet, et indignum se diceret, qui in Religione à tot Dei Seruis retineretur. Omnes sibi præferebat, cum infimæ conditionis hominibus libenter versabatur. Et ne miracula, quæ per eum Deus sæpè operabatur ipsius meritis tribuẽtur Sanctorũ multoties reliquijs, et certis pijs orationibus vtebatur, illasq; mittebat, vt eorũ Sanctorũ intercessionibus gratię illę, et miracula referrẽtur accepta. Quod fuit, et est verũ, publicũ, notorium, et manifestum

publica

publica vox, et fama, et communis opinio, et reputatio.

19 Item ponunt, & quatenus opus est probare volunt, & intendunt, quod dictus Seruus Dei P. F. Io. Leonardus de Fusco tria vota ordinaria Religionis, nimirum Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ semper exactissimè seruauit, Paupertatem quidem mirificè coluit, paucis etiam, intra necessitatem in omnibus contentus, vt Christi Domini paupertatem imitaretur. Ex hac paupertatis virtute pauperes amicè dilexit, aliosque ad illis benefaciendum hortabatur, eosque precibus, & quacunq; alia ope valebat adiuuauit, & subleuauit.

Castitatem vero seruauit modestè viuendo, mulierum consortia, & colloquutiones in non necessarijs fugiendo, cum quibus non nisi de earum salute tractabat, solitudinem, ac silentium diligendo, otium tamquam sæuissimum hostem odio prosequendo, carnem suam sæuissimè macerando ieiunijs, abstinentijs, cilicijs, zonis acutis stimulis plenis, disciplinis, vigilijs, orationibus, alijsq; asperitatibus, ita vt circa annum quadragesimum suæ vitæ in multos inciderit morbos, ita vt ab eo ferè tẽpore ligneo baculo vteretur cum pedibus esset admodùm imbecillis.

Obedientiam denique exactissimè seruauit, & primo ad mundi contemptum, & Religiosam vitam à Domino Deo vocatus promptissimè paruit, in Religione etiam regulis, & constitutionibus Ordinis Prædicatorum, eiusque Superioribus omnibus diligentissimè, & cum magna simplicitate semper obtemperauit, illorum voluntatem ad vnguem exequendo. Quod fuit, & est verum, publicum, notorium, & manifestum, publica vox, & fama, & communis opinio, & reputatio.

20 Item ponunt, & quatenus opus est probare volunt, & intendunt, quod dictus Seruus Dei P. F. Io. Leonardus de Fusco mirificè claruit dono profetiæ. Et hoc fuit, & est verum, publicum, notorium, & manifestum, publica

vox,

vox, & fama, & communis opinio, & Reputatio.

21 Item ponunt, & quatenus opus est probare volunt, & intendunt, quod dictus Seruus Dei P. Io. Leonardus de Fusco, dum in humanis degit semper fuit communiter, & vniuersaliter habitus, tentus, & reputatus, à cunctis Christi fidelibus etiam grauibus, & eminentibus viris supradictis virtutibus ornatus, Sanctus, & Dei amicus. Et propterea cuiuscunque conditionis homines, magnæq; dignitatis personæ eius se precibus commendabant, reliquiasque viuentis expetebant, oscula manibus, & vestibus cum magna animi deuotione, & submissione figentes. Post mortem verò fama Sanctitatis ipsius creuit, & crescit in dies magis sine vlla interruptione, ita vt publicè, & palam, etiam à grauibus, & eminentibus viris vniuersaliter pro Sancto habeatur & teneatur. Hinc fit, vt eius se precibus Christi fideles priuatim commendent, intercessionemq; implorent, eius reliquias, venerentur, quærant, & magno cum honore conseruent, eius imagines, vt imagines Viri Sancti inter alias Sanctorum imagines cum deuotione, & veneratione custodiant, eius Sepulcrum inuisant, cereis, argenteis, & ligneis tabellis, vestibus, accensis facibus, floribus, rebusque id genus alijs frequenter exornent, pluresque alios deuotionis affectus erga illũ exercent, qui erga Dei Sanctos exerceri solent. Quod fuit, & est verum, publicum, notorium, & manifestum, publica vox, & fama, & communis opinio, & reputatio.

22 Item ponunt, & quatenus opus est probare volunt, & intendunt, quod Deus Dominus noster ad sui nominis gloriam, & honorem, & ad ostendendam Sanctitatem dicti sui Serui P. F. Io. Leonardi de Fusco varia, & præclara miracula, tam in eius vita, quam post mortem fecit, & facit, atque operatus fuit, & nunc operatur per eius reliquias, imagines, intercessionem, & inuocatio-

nem,